

tanquam in unum corpus Redactam edidi, &  
quasi genus verborum, quo ad proprietatem,  
qua ad perspicuitatem & concordiam utilis est,  
discentes assuefierent, ac semper omnia scripta in-  
dicio Ecclesiae nostrae, & ipsius Lutheri permisi:  
de multis questionibus etiam diserte sciscitatus sum  
Lutherum, quid sentiret, & multi pagellarum  
istarum exempla adhuc habent. In eius doctri-  
nae professione, quam scio perpetuum esse consen-  
sum Ecclesiae Catholice D. N. I. C. & nunc De-  
um inuoco, & iuuante ipso hanc confessionem ad  
eterna Ecclesiae consuetudinem afferam &c: Et  
ne quis, ut hodie multi sunt, perhibeat, aliud in  
quibusdam doctrinae capitibus sensisse & scripsisse  
Philippum, quam Lutherum, confutat hos ipse  
Philippus, non schedis, quas deformatores Luthe-  
ri & Philippi, alicunde surreptas & conuasatas  
ostentare conantur, sed publicis & toti Ecclesiae  
traditis & commendatis scriptis. Sic enim inquit  
in quarto operum suorum tomo in formula con-  
cordiae de controversis articulis: Deo iuuante,  
pium consensum in Ecclesys nostris omnibus fideliter  
tueri volumus, iuxta Confessionem Augustae  
exhibitam, & Apologiam, & articulos à Luthero  
scriptas, quibus additæ sunt subscriptiones in con-  
uentu Smalcaldensi, nec recepturi sumusulla  
dogmata pugnantia cum ea doctrina. Nec du-  
bitamus doctrinam Confessionis nostræ veram, &  
veterem Ecclesiae Dei Catholicae sententiam esse.

Et